

AD I. COR. CAP. IX.

Judæus quoad observationem cerimoniarum, ne à conversatio-
 ne sua abhorrent, aut alieniores ab Evangelio fierent, licet ipse
 pro libertate Christiana à lege cerimoniali solutus esset. Vici-
 sim *gentilibus* legem non habentibus factus quasi legem non ha-
 beret, ne legis cerimonialis rigore eosdem absterreret. Unde
 quum Timotheum in gratiam eorum, qui legem habebant, cir-
 cumciderit *Act. XVI. 3.* Titum in gratiam gentium non passus
 est circumcidi *Tit. II. 3.* Denique *infirmis è Christianis* infirmus
 factus est, qui scilicet nondum rectè informati erant de usu liber-
 tatis Christianæ, in quorum gratiam libere abstinuit ab iis, qui-
 bus frui licebat. Sed cur restitit Paulus Judæis Petro se attempe-
 ranti *Gal. II. 14.* Factum hoc, quia Petrus de sublato jugo & one-
 re legum cerimonialium è concilio Hierosolymitano, cui ipse in-
 terfuerat, certus, id tamen gentilibus imponere volebat, ne malè
 apud Judæos audiret, *non absq; scandalo infirmorum, quasi neces-*
saria esset legiscerimonialis observatio, & periculo corruptela arti-
culi de justificatione Apostolica. Non levis causa reprehensionis e-
 rat inquit Thomas in Caten. ad Gal. II. - *Periculum enimerat, ne*
periisset veritas Evangelii, si cogerentur homines servare legalia quod
inducebat Petrus, non quidem imperio, sed exemplo. Non hoc e-
 rat infirmis infervire, sed offendiculum ponere. *Bellarminum* si
 audias *l. 1. de Rom. Pontif. c. 27.* Petrus, inquit, quia *Judeorum*
precipue Apostolus erat, gentiles potius, quam Judæos offendere vo-
luit. Paulus autem electionem illam improbavit, & Petrum satis
acriter reprehendit.

P A R S II.

Apostolicum de cursu & certamine sacro monitum.

V. 24. Οὐκ οἶδατε, ὅτι οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες, πᾶσι μὲν τρέ- 79
 χουσιν, εἰς δὲ λαμβάναι τὸ βραβεῖον. 29

Trajectio pro πᾶσι μὲν οἱ ἐν σταδίῳ τρέχοντες τρέχουσιν. 19

C 2

Et